



Magnum Bullarium Romanum, Seu Ejusdem Continuatio

Quæ Supplementi loco sit, tum huicce, tum aliis quæ præcesserunt
Editionibus, Romanæ, & Lugdunensi ...

Ab Innocentio XI. Ad Innocentium XII.

Luxemburgi, MDCCXLI.

4. Exponi nobis &c. Obedientia Superioribus præstanda Quitensis
aliarumque in India Provinciarum Religiosis injungitur.
-

[urn:nbn:de:hbz:466:1-74849](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-74849)

ius personæ in Ecclesiasticâ dignitate constitutæ munitis, eandem prorsus fidem tam in iudicio, quam extra illud ubicumque locorum haberi, quæ haberetur ipsis præsentibus, si forent exhibitæ, vel ostensæ.

Datum Romæ apud Sanctum Petrum, sub annulo Piscatoris die 7. Februarii 1678. Pontificatus nostri Anno secundo.

J. G. SLUSIUS.

IV.

Obedientia Superioribus præstanda Quitenfis aliarumque in Indiâ Provinciarum Religiosis injungitur.

INNOCENTIUS PAPA XI.

Ad futuram rei memoriam.

Bullæ
præsentis
ocasio.

§. 1. **E**Xponi nobis nuper fecit Dilectus filius Dominicus Valvasorius Mediolanensis Vicarius Generalis Ordinis Fratrum Eremitarum S. Augustini, quod in Provinciis Indiarum, & præsertim Quitenfi dicti Ordinis non raro evenit, ut post solemnem celebrationem Capitulorum Provincialium habitam in Loco specialiter ad id designato post legitimam electionem Prioris Provincialis per scrutinium factam à majori parte Electorum unanimi consensu in unum intendendum post electi Prioris Provincialis confirmationem à Præsidente Capituli publicè promulgatam & post cæteras electiones tum Definitorum, & Visitatorum, tum Priorum Localium, ac Doctrinarios rite similiter expeditas, vix hujusmodi electionibus factis, aut imminente ejusdem Capituli dissolutione, vel immediate post absolutionem, ac etiam post aliquot menses, imò, & annos quibus tam Prior Provincialis, quam cæteri Superiores legitime, ut præfertur electi, respectivè munere suo pacificè functi fuerint, nihilominus nonnulli malo spiritu adducti, eo quod fortassis in prædictis Capitulis non obtinuerint ea, quæ sibi antea consequenda proposuerant, & altè cordi hærebant obtinenda, contra jam electum, confirmatum, & actualiter exercentem officium Provincialatus potissime insurgant, ac etiam contra Definidores, Visitatores, reliquosque Priores Locales, & Doctrinarios eisdem debitam denegantes obedientiam, honorem, & prælationem, vanasque causas tantæ contumaciæ adducunt, quinimò ad aliam electionem potissime Prioris Provincialis tumultuosè, & clandestinè irumpant, & ad Tribunalia secularia causam sæpè per viam (ut vocant) auxiliatricem deferunt, contendentes super validitate, aut nullitate electionis prædicti Prioris Provincialis cæterarumque electionum; unde Provincia illa miserrimè turbatur.

Quæ est
denegata à
quibusdam
Quitenfis
Provincia
Religiosis
Prioribus
Provincia
libus reli
quique
Superiori
bus rite e
lectis de
bita obe
dientia.
Prætex
tus.

Incom
moda inde
fluentia.

§. 2. Tunc enim in dubium vocantur receptiones Novitiorum ad regularem habitum, solemnes eorundem professiones, facultates ad excipiendas confessiones, institutiones Doctrinarios, seu Parochorum pro administratione Sacramentorum, sententiæ translate in auctoritatem rei judicatæ tum absolutoriæ, tum condemnatoriæ à prædicto Priori Provinciali vel Definitorio aut à Prioribus Localibus prolatae, cæterique actus judiciales & extrajudiciales utilitatem publicam, vel privatam respicientes pro nullis, & invalidis habentur, utque pertinacius in sua persistant obstinatione, non obtentâ à Superioribus facultate veniendi Romam, longa suscipiunt itinera, & ad longum tempus contra præscriptum constitutionum Ordinis prædicti, ac decretorum hujus Sanctæ Sedis, vagantur.

Causarum
Vicario
delatæ.

§. 3. Cum autem sicut eadem expositio subjungebatur, ob immanem terræ, marisque ab hac alma Urbe Indiarum distantiam, non facile succrescentibus hujusmodi malis opportuna possit à Superiore Generali dicti Ordinis

aptari medela, Nobis propterea dictus Dominicus Vicarius Generalis humiliter supplicari fecit, ut in præmissis opportunè providere, & ut infra indulgere de benignitate Apostolica dignaremur.

§. 4. Nos igitur effraenem illam Licentiam insurgendi contra Superiores eisque debitam obedientiam denegandi compescere, ac Provinciarum prædictarum quieti, quantum nobis ex alto conceditur, consulere cupientes, dictumque Dominicum Vicarium Generalem à quibusvis excommunicationis, suspensionis, & interdicti, aliisque Ecclesiasticis Sententiis, censuris, & penis à jure, vel ab homine quavis occasione, vel causâ latis, si quibus quomodolibet innodatus existit, ad effectum præsentium tantum consequendum, harum serie absolventes, & absolutum fore censentes, hujusmodi supplicationibus inclinati, de Venerabilium Fratrum nostrorum S. R. E. Cardinalium, negotiis & consultationibus Episcoporum, & Regularium præpositorum, qui dilectum filium Procuratorem Generalem Ordinis prædicti audiverunt, consilio, auctoritate Apostolicâ tenore præsentium perpetuò statuimus, & ordinamus, ut si in Quitenfi, vel aliis Indiarum Provinciis prædictis electio Prioris Provincialis facta fuerit per scrutinium secretum à majori parte Electorum, eaque à Præsidente Capituli successivè confirmata, omnes, & singuli Provinciarum hujusmodi respectivè Religiosi, cujuscumque gradus, dignitatis, & conditionis existant, sub privationis vocis activæ, & passivæ, ac graduum, & dignitatum seu officiorum per eos obtentorum, perpetuæque inhabilitatis ad illa, & alia in posterum obtinenda, ac etiam majoris excommunicationis penis ipso facto incurrendis teneantur, non solum ab aliâ electione Prioris Provincialis abstinere, sed etiam ipsi Priori Provinciali, seu Reçtori Provinciali, aliisque, ut supra respectivè electis, & institutis, secutâ confirmatione prædictâ à Præsidente factâ, debitam exhibere obedientiam tam in temporalibus, quam in spiritualibus, non obstante quacumque protestatione, aut appellatione, etiam post confirmationem hujusmodi factâ, vel interpolatâ de Jure.

Absolutio
ad effectum.

Indiarum
Religiosi
Provincia
li rite electi
subjiciuntur.

Idque
sub poena
inhabilitatis
& excommunicationis.

§. 5. Nos enim ad hunc effectum ex certâ scientiâ, & de Apostolicâ potestatis plenitudine suppletos intelligi, ac pro suppletis haberi volumus omnes, & singulos alios defectus, etiam substantiales juris, & facti, si fortè intervernerint in prædictis electionibus, & confirmationibus, illasque per quoscumque Judices, etiam Palatii Apostolici Auditores quoad omnes, & singulos juris effectus haberi, & judicari tamquam legitime, & Canonice factas, interim, & quousque ad Quitensem, seu alias Indiarum Provincias prædictas respectivè Prioris Generalis, vel Vicarii Generalis ejusdem Ordinis determinatio pervenerit, legitimeque de eâ constiterit, & intimata fuerit, quibus de Jure constare, & intimari debet.

Non obstantibus
etiam Electionis defectibus.

§. 6. Quod si lite pendente super validitate, seu nullitate Capituli Provincialis, vel cujuscumque electionis inflet dies præfixus celebrationi novi Capituli Provincialis, possint nihilominus, & teneantur omnes Electores ad Locum destinatum convenire, & juxta Sacros Canones, Concilii Tridentini decreta, ac Apostolicas, & dicti Ordinis constitutiones novum Capitulum Provinciale hujusmodi celebrare, nec ratione talis litis pendentiæ, seu nullitatis præsentis quisquam contra ipsius Capituli validitatem coram quocumque Tribunali ullomodo quicquam opponere possit.

Nec lite pendente
super validitate
aut nullitate
Capituli.

§. 7. Idemque fit, & intelligatur, etiam si post dictum Capitulum Provinciale congregatum, supervenerit ad Provinciam, vel ei intimetur sen-

Nec superveniente
sententiâ
annullatoria.

rentia annullatoria Prioris Generalis, vel Vicarii Generalis, aut nova creatio Prioris Provincialis, seu Rectoris Provincialis, aliorumque Officialium, quae omnia ad effectum annullandi Capitulum Provinciale congregatum, seu etiam peractum, prout supra dictum est, tamquam inutilia, ac si nullatenus emanassent omnino habeantur, & judicentur, proindeque Capitulum praedictum Provinciale ita, & prout supra celebratum ab eodem Priore, seu Vicario Generali confirmari debeat, dummodo alias canonicè & legitime celebratum sit.

Cujus tamen publicatio propterea non differenda.

§. 8. Ne tamen ex hoc aliquis ullo modo occasionem sumere possit, malitiosè occultandi, alterandi, seu differendi exhibitionem, & publicationem quarumcumque Litterarum, in quibus contineatur annullatio, vel nova creatio Electorum, in capite, tum in membris, si fortè à Priore, vel Vicario Generali ita provisum sit, teneatur sub eisdem poenis, & censuris ille, etiam si sit Prior Provincialis actualis, ad cuius manus litteras huiusmodi pervenire contigerit, ipsas manifestare vel intimare illi, vel illis, quibus de Jure manifestari, seu intimari debent.

Præsentibus quoque debitis in locis promulgandæ.

§. 9. Cæterum, ut nemo præsentium Litterarum ignorantiam præterdere possit, volumus, ut illæ statim atque ad Quinquagesimam aliasve Indiarum Provincias prædictas respectivè pervenerint, publicentur, perpetuisque futuris temporibus in singulis earundem Provinciarum Capitulis Provincialibus, post recognitionem Præfidentis, ipse, antequam ad aliquam electionem deveniatur, teneatur mandare, ut omnibus capitulariter congregatis, ipsæ præsentibus Litteræ unâ cum reliquis Constitutionibus de more legendis, legantur, salvâ tamen semper in præmissis autoritate Congregationis memoratorum Cardinalium.

Decretum roborans & irritans.

§. 10. Decernentes easdem præsentibus Litteras semper firmas, validas, & efficaces existere, & fore, suosque plenarios, & integros effectus sortiri, & obtinere, ac illis, ad quos spectat, & pro tempore quodcumque spectabit, in omnibus, & per omnia plenissime suffragari, & ab eis respectivè inviolabiliter observari. Sicque in præmissis per quoscumque Judices Ordinarios, & delegatos, etiam causarum Palatii Apostolici Auditores, judicari, & definiri debere, ac irritum, & inane, si secus super his à quoquam quâvis auctoritate scienter, vel ignorantiter contingerit attentari.

Derogatio contrariis.

§. 11. Non obstantibus præmissis, ac Constitutionibus, & ordinationibus Apostolicis, nec non Provincialium, & Ordinis prædictorum, etiam juramento, confirmatione Apostolicâ, vel quâvis firmitate aliâ roboratis statutis, & consuetudinibus, privilegiis quoque indultis, & litteris Apostolicis in contrarium præmissorum quomodolibet concessis, confirmatis, & innovatis. Quibus omnibus, & singulis, illorum tenores præsentibus pro plenè, & sufficienter expressis, & insertis habentes, illis aliâ in suo robore permanfuris, ad præmissorum effectum hâc vice dumtaxat specialiter, & expressè derogamus, cæterisque contrariis quibuscumque.

Transumptum fides.

§. 12. Volumus autem, ut earundem præsentium Litterarum transumptis, seu exemplis, etiam impressis, manu alicujus Notarii publici subscriptis, & sigillo personæ in Ecclesiasticâ dignitate constitutæ munitis, eadem ubique fides in Judicio, & extrâ adhibeatur, quæ præsentibus adhiberetur, si forent exhibitæ, vel ostensæ. Datum Romæ apud Sanctum Petrum sub Annulo Piscatoris Die 24. Martii 1678. Pontificatus nostri anno secundo.

Dat. 24. Martii 1678. Pontif. Anno secundo.

J. G. SLUSIUS.

Privilegia nonnullis Sanctitatis suæ Familiaribus concessa.

INNOCENTIUS PAPA XI.

V.

Venerabilibus Fratribus Antonio Pignatello, Archiepiscopo olim Larissen. Episcopo Licien. cubiculi nostri Præfecto, Stephano de Augustinis Archiepiscopo Heracleæ, Datario, & Horatio Matthæo, Archiepiscopo Damasceno, Palatii nostri Apostolici, ac Josepho Eufanio Episcopo Sorphyrien. Sacarii nostri respectivè Præfectis, nec non dilectis filiis Magistris Joanni Gualtero Slusio Leodien. Secretario Brevium nostrorum Secretorum, Joanni Baptistæ de Luca Venusien. Auditori nostro, & Mario Spinulæ Januen. in utraque Signaturâ nostrâ Referendariis, Litterarum nostrarum in formâ Brevis quæ ad Principes scribuntur, Secretario, Prælatis domesticis nostris, ac Camillo Mugialco Comen. Pincernæ, Petro Joanni Bernardi Vencien. Archicicilino, Thomæ Odescalco Vestuario, & Elemosynario secreto, Joanni Francisco Ripæ, & Hieronymo Peregrino Comen. Francisco Antonio Cavedono Venusin. Hugoni Humberto de Servient. Gratianopolitan. Antonio Albertino Neapolitan. Matthæo Santini Lucan. Augustino Favorito Lunen-Sarzanen. notarum arcanarum Secretario, & Francisco Santuccio Romano, Medico Secreto, Cubiculariis intimis, seu Secretis, & Francisco Liberato Sutrin. Subdatario, ac Joanni Puccio Politanen. & Michaeli Angelo Boldrino Cortonen. Capellanis Secretis, nec non Josepho Sancti Fiamma Comen. Carolo Antonio Prosperi Hortan. Josepho Tiberio Quadri Romano, & Deodato Bovio Mantuan. respectivè Civitatum, vel Diocesum Clericis, seu Presbyteris, vel Laicis, cubiculi nostri Adjutoribus familiaribus, continuis commendatilibus nostris salutem, & Apostolicam benedictionem.

Familiarium nomina.

Circumspecta Romani Pontificis gratiarum dispensatoris providentia, devotos & fideles suos, illos præsertim, qui grata familiaritatis obsequia jugiter ei impendunt, ac quos ad id alias propria virtutum merita commendant, honoris & famæ amplioribus præconiis, ac præclaris dignitatibus titulis decorare & ornare, nec non specialis benevolentiae favoribus amplecti solet, prout personarum qualitatibus conspicit convenire.

Exordium à Familiaribus favendi consuetudine.

§. 1. Hinc est, quod nos ad grata familiaritatis obsequia, quæ vos, qui etiam continui commentales nostri existitis, & quilibet vestrum Nobis hætenus impendistis, & adhuc sollicitis studiis impendere non desistitis, nec non ad vitæ, ac morum honestatem, aliaque laudabilia probitatis, & virtutum merita, quibus personas vestras, etiam familiari experientia juvari percepimus, condignam rationem habentes, ac propterea easdem personas vestras peculiaris favore gratiæ, ac specialis honoris, & excellentiæ dignitatis titulo sublimare voleantes, vosque, & quemlibet vestrum à quibuscumque excommunicationis, suspensionis, & interdicti, aliisque Ecclesiasticis sententiis, censuris & poenis à Jure vel ab homine quâvis occasione, vel causâ latis, si quibus quomodolibet innodati existitis, ad effectum præsentium dumtaxat consequendum, harum serie absolventes, & absolutos fore censentes; motu proprio, non ad vestram, vel alterius pro vobis super hoc oblata petitionis instantiam, sed de mera liberalitate, & certâ scientiâ nostris, ac de Apostolicâ potestatis plenitudine vos, & quemlibet vestrum respectivè

Motu proprio creat Sedis Apostolicæ Notarios, Palatii Comitibus, Equites, Nobiles Romanos, & Urbis, aliarumque Civitatum Cives.